



Voccio rex fuit in ea parte Germaniae que ab Oeno fluuio incipit, & ad Orientem uersus Pannoniam superiorem protenditur. Ea regio a Norico Herculis Alemanni regis Germaniae magna filio, Noricum nomen accepit. A meridie terminatur alpibus Noricis, a Septentrione Danubio, ab Occasu Boiijs. Erat autem Voccio multis uirtutibus præditus, atque magnis regibus aſſinitate & fœdere iunctus. nam Ariouiftus rex magna Germaniae eius sororem uxorem habuit, qui cum Iulio Cæſare aliquoties in Sequanis conflixit. Cum autem Voccio Romanorum uires cognosceret, amicitiam cum Iulio inuicto, atque tempore belli ciuilis tele Cælareanarum partium declarauit, unde etiam trecentos fortissimos equites Germanos contra Pompeium Cæſari in auxilium misit, qui gnauiter suam operam Cæſari collocantes post deuictum Pompeium, magnam gloriam & autoritatem Voccioni apud Romanos pepererunt. Voccione autem magna nominis existimatione mortuo, successit ei Critosius ultimus rex Noricorum. Is enim a Romanorum fœdere deficiens, atque se reliquis Germanis contra Germanicum coniungens, author extitit, ut Noricum in Romanorum prouinciam sub Tiberio Cæſare redactum fuerit. Tacitus: Zieglerus.